



## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 19. Variæ ejusdem Pontificis Clementis VIII. Constitutiones.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

mens tamen octavus festum illius diem Sæcul.XVI.  
A.C.1594.  
decimo sexto Augusti postridie illius  
diei, quo decessit, celebrari iussit, hanc  
in rem Constitutione die decimo septimo  
Maji edita.

§. XIX.

*Varie ejusdem Pontificis Clementis  
VIII. Constitutiones.*

Die octava Mensis prioris Martii idem Bull. tom. 3.  
Const. 26.  
& seq. p. 44.  
summus Pontifex aliam edidit Con-  
stitutionem, qua stabilivit indulta, &  
*immunitates pro Mercatoribus etiam Heb-  
raeis, ad portum Civitatis Anconæ status  
ecclesiastici merces advehentibus, & aliis  
ibi mercaturæ causa domicilium consti-  
tuentibus; cum enim inter ejusmodi Mer-  
catores, & Papæ Ministros, aliosque  
identidem lites orirentur, Pontifex  
quosdam nominabat Consules, qui de  
ejusmodi controversiis cognoscerent,  
aliis vero Judicibus, ac Governatori  
severe interdicebat, ne quicquam ex  
advectis mercibus sibi attribuerent, imo  
nequidem emerent. Alia Constitutio-  
ne Papa die decima nona Junii utrius-  
que sexus Regularibus inibuit, ne mu-  
nera elargiantur, aut recipiant, si quid  
communi nomine donetur, vel elee-  
mosynæ titulo acceptetur. Alia Con-  
stitutione die nona Septembris appro-  
batur *Archi-confraternitas B. Mariæ de Suf-  
fragio**

Sæcul. XVI. A.C. 1594. *fragio nuper in urbe instituta, ad orandum pro liberatione animarum in purgatorio existentium.* Præterea die octava Novembris alio diplomate Papa confirmabat statuta jam olim condita pro bono regimine Ordinis Fratrum B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, & pro electione Magistri Generalis ejusdem Ordinis. Die quarta Julii per aliam constitutionem decernitur institutio Festivitatis S. Stanislai Episcopi, & Martyris, pro die septima Mensis Maji, duplici officio celebrandæ.

Idem etiam sanciebat Pontifex edito diplomate die nona Julii circa sanctum Romualdum Ordinis Camaldulensis fundatorem, cujus festivitatem die septima Mensis Februarii ritu duplici celebrari præcepit. Denique die vigesima nona ejusdem Mensis Julii Papa alio diplomate præscribit, qualiter eligendi sint Superiores Fratrum tertii ordinis, quos pœnitentes vocant.

## §. XX.

*Continuata Jesuitarum causa post Joannis Castelli supplicium.*

*P. Jouvenc. hist. Soc. tom. 2. p. 5.* Interea lis contra Jesuitas mota, atque per Joannis Castelli parricidium innovata semper in Parisiensi Senatu agitabatur, atque eodem die, quo infelix ille homo extremum subibat supplicium,